

Rhythmus gratulatorius Professori Pentti Aalto
a.d. XI Kal. Aug. a. MCMLXXVII sexagenario

Pentti, dies aestivalis
advenit tibi natalis.
Care collega, sodalis
exstitisti semper talis,
rarus professorum qualis:
discipulis favoralis,
impiger geron vitalis,
numquam superficialis,
nec nimis imperialis,
habes nempe granum salis.

Iam scholaris es detectus
adulescens praelectus,
nec aetate fis confectus,
procul adhuc est senectus:
robur implet tuum pectus,
manet virilis aspectus,
nimis acer intellectus,
animus et sensus rectus,
erga collegas affectus,
a te nemo fit neglectus.

Es facetus et facundus
et iocosus et iucundus,
semper primus, non secundus,
auctor operum fecundus,
quae cognovit omnis mundus;
magnum inest illis pondus,
doctrinarum firmus fundus,
confiteor verecundus.

Optimus es latinista
 studiis nec non graecista,
 multiscius altaista
 et professor sanscritista.

*Ipse sed madyam apeyam
 putas agrāhyam adeyam,
 jalām pradhānām ca peyam
 doces discipulis re iam.*

Latino de gerundivo,
 Graecorum infinitivo
 aliosque persuasivo
 modo libros effectivo,
 stilo conscripsisti vivo,
 more continuativo
 effectuque positivo
 discipulis incentivo.

Vagas gentes Sarmatarum,
 feros populos Scytharum,
 Roxolanorum, Daharum,
 Arimasporum, Sacarum,
 Avarum, Sacaraucarum
 cognovisti, Basternarum;
 res conferre fuit carum
 gentium semiferarum,
 studuisti linguis quarum,
 multarum et aliarum.

Longum erit celebrare
 opus omne singulare –
 sicut et B-lineare,
 de quo disputasti clare;
 si quaesierit quis, quare,
 dicam: indolis es rarae,
 collega professor care,
 nec in nostra publica re
 tantum, namque publicare

libros consuesti trans mare.

Fama tua patet late,
 cum sis plenus honestate,
 paterna benignitate,
 praeditus humanitate,
 procul vana vanitate;
 eruditus qui sum a te,
 fateor cum pietate
 nec aberro veritate —
 omnes verum iudicate,
 an sint laudes accuratae!

Villa Vestanfjärdis rure,
 quam circumdant aquae purae,
 est amoena iusto iure,
 hospites sunt tibi curae.

Aestatem cum agis ibi,
 panis albus, pisces tibi
 praestant mensam plenam cibi,
 perca caveat tum sibi!

Nomen insulae Kimito,
 floret terra omni phyto,
 te Fortuna vehit cito
 hospitesque, haud invito.

Neque mirum, nam Undosus
 nomine vir es famosus,
 Benedictus operosus,
 sedulus, ingeniosus.

Ergo tibi nunc annorum
 sexaginta sit decorum
 gratulari nostrum chorum,
 collegarum amicorum,
 tuorum discipulorum;
 Felici plenam bonorum
 vitam det coelum deorum!

Nostrae laudis esto forum
opus, edimus quod horum
manu confectum scriptorum.

Tuomo Pekkanen